

intentionem, indirecte sequitur mors innocentis; nam tota illa iudicii forma est constituta, ne vitietur veritas; in favorem innocentiae, ne haec opprimatur; ergo haec non potest esse objectum immediatum sententiae condemnatoriae innocentis, ne contra *R. J. 61. in 6.* quod est in alicujus favorem concessum, in ejus retorqueatur dispendium. Quod si tamen adhuc intentionem extrinsecam fingas; se pariter excusabit Pilatus, quod condemnando Christum intenderit directe impedire tumultum populi.

Ad 2^{am}. part. N. suppos. quod jura velint haberi reum, qui talis solum probatus a testibus falsis. Constat ex dictis in *Concl.*

Ad 2^{am}. R. N. Cons. Etsi enim dicatur verbis affirmativis: in ore duorum, vel trium testium *peribit...* stabit omne verbum: sensus tamen negativus est, quod plures testes non sint necessarii; unus vero non sit sufficiens, ut feratur sententia condemnatoria. Constat ex *Exod. 23. v. 2.* ubi: *nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiae, ut a vero devies. v. 7. mendacium fugies.* Si igitur contra veritatem in iudicio plurimorum maligna testimonia jubeantur rejici, quomodo in ore duorum, vel trium falsorum testium continuo peribit, dum iudici constat de innocentia?

Ad 3^{am}. R. N. Cons. Ambo enim loquuntur de eo, quod ordinarie fit, quando iudici non constat de veritate; nec alius sensus utriusque canonis tribui citra figmentum potest; nam in primo immediate subditur ex *S. AMBR. et sicut se habet negotii natura, decernit... examinat causae merita, non mutat... in iudicando magis cordi sit veritatis custodia;* ergo hanc praevalere vult. In altero hunc sensum esse Rubrica demonstrat: *non credantur, quae certis indiciis non demonstrantur;* quomodo igitur credantur, quae non nisi mendaciis demonstrantur?

Ad 4^{am}. R. N. quod possit exequi sententiam certo ac notorie injustam. Alioquin excusabis Christi ac Martyrum carnifices; ac aliunde certum est, magis obediendum esse Deo, prohibenti omnem injustitiam, quam homini praecipienti injustum. Unde *ro sciat* a Pontifice latius sumitur pro opinione, quando sententia non est notorie injusta: ut colligitur ex eod. c. dum inquit: *mandatarii non esse, examinare sententiam, cujus ipsi executio tantum demandatur.*

Ad 5^{am}. R. D. Quando iudici aliunde de veritate non constat *C. secus N.* Jubetur hanc formam sequi, *ne vitietur veritas.* Non igitur si haec viliaretur, ac opprimeretur innocentia.

Ad 6^{am}. R. D. Est persona publica ratione officii *C.* ut sequatur errorem; mendacium, calumniam, quam scit alteri impingi *N.*

Ad Conf. R. Sophisma hoc seipsum jugulat, vel nimium probat; si enim iudex sustineat personam Reipublicae ac judicare debeat, sicut ipsa judicaret Respublica; haec vero judicaret juxta scientiam publicam, cum Reipublicae scientia sit publica; ergo etiam, quando Reipublicae constaret de veritate et innocentia, secundum hanc scientiam publicam judicaret: sed quomodo hoc casu judicaret? condemnando? minime; ergo nec iudex hic judicare debet. Unde *D. min. subs.* Sed Respublica judicaret secundum scientiam publicam condemnando, quando non constaret Reipublicae de veritate *C.* si constaret de veritate *N.* Sed si constaret Reipublicae de veritate, secundum hanc scientiam non condemnaret; saltem non posset.

Ad 7^{am}. R. Saltem dominium altum in vitam certo Respublica non habet.

In civilibus quidem habet, sed *N. min. cum prob.* Talia enim delicta praesumi non oportet; vel pariter dicam, adversariorum doctrinam ansam dare hominibus malevolis, ut perfide conspirent falsis testimoniis contra inimicum, si noverint, debere iudicem semper ex officio deferre duorum depositioni testium. Deinde hoc periculum corruptionis non habet locum; quia in foro externo ipsi iudici, asserenti reum publice convictum esse innocentem, non habetur fides, nisi id probet.

Ad 8^{am}. R. C. A. N. Cons. Disparitas est: dimittere nocentem, maxime occultum, nulli juri adversatur, nec per hoc ulli infertur injuria: ac condemnare innocentem *capitis*, intrinsece malum est; sed et *in civilibus* adversatur justitiae, ipsique legum fini; ac innocenti irrogatur injuria.

Ad 9^{am}. R. In causa capitali, si nullum ex dictis n. 629. succedat (quod tamen vix possibile, ut controversia haec prope sit de casu metaphysico) tum, si iudex inferior sit, potius cedere debet officio: neque hoc nimis durum videri debet, cum vita alterius sit superioris ordinis bonum, ac generaliter nullius boni temporalis vel retinendi, vel acquirendi causa liceat committere rem intrinsece malam, qualis est innocentis occisio: si vero iudex supremus sit summus Princeps, poterit sua auctoritate dimittere innocentem liberum; cum vi *juris aggratiandi* possit usque adeo vere reo facere vitae gratiam; pariter in civilibus potest absolvere, quem certo scit innocentem, cum summus Princeps his legibus de forma iudicii non adstringatur: iudex vero inferior in civilibus, si ipse periclitaretur de officio, nisi condemnaret innocentem, non tenetur tanto suo incommodo procurare bonum alterius; ac condemnatus, cum hac sententia haud obligetur in conscientia, uti potest compensatione occulta; vel alio tempore resuscitare causam, instituendo processum de novo, etc.

CAPUT III.

DE ACTU JUSTITIE SIVE JUDICIO.

637. Iudicium, ut hic spectatur, est legitima causae actorem inter et reum controversae per iudicem facta discussio, et definitio, arg. *c. Forus. 10. de V. S. L. 9. 13. C. h. t.* Importat data definitio omnes partes principales constitutivas iudicii; et personas necessarias, *causam*, sive, ut dici solet, punctum litis; *iudicem*; *actorem* (in causis criminalibus *accusator* dicitur) qui alteri litem movet; *reum*, non a reatu theologico sic dictum, sed cui lis movetur. Caeterae personae, quae in iudicio adesse solent, ut assessores, notarii, nuncii et similes, minus principaliter iudicium constituunt; demum *sententiam*, iudicii finem, ac terminum. Dividitur vero a Jurisconsultis iudicium praecipue 1^o. in *ecclesiasticum*, quod coram iudice ecclesiastico qua tali, quia causa est fori ecclesiastici, agitur; et *seculare*, quod coram iudice seculari qua tali. 2^o. In *ordinarium*, in quo solemnis juris ordo servatur, offerendo libellum, contestando litem, etc. et *extraordina-*

rium, sive *summarium*, in quo proceditur de plano, non servato solemnī juris ordine præscripto a jure positivo. 3°. In *petitorium*, in quo de proprietate et dominio rei; tum *possessorium*, in quo de sola rei possessione disceptatur. 4°. In *civile*, in quo actor principaliter interesse suum civile, vel commodum intendit quacumque ex causa, sive ratione contractus, vel quasi, sive ratione delicti, vel quasi; modo non intendatur mulcta pecuniaria solvenda fisco; et *criminale*, in quo agitur de delicto ad infligendam reo pœnam publicam. Pluribus de judicio ex instituto Jurisconsulti tractant: aliter Theologi quibuscum sequentes pro foro theologico quæstiones intuebimur.

ARTICULUS I.

QUOD SIT OFFICIUM, QUÆVE OBLIGATIO JUDICIS?

638. *Dico I.* Principale officium judicis est jus dicere, h. e. tenetur partes litigantes audire, diligenter causæ momenta discutere, ac ferre sententiam secundum jus et æquitatem, eamque dare executioni, itaque jus suum cuique tribuere.

Prob. Ad hoc enim ordinatus est judex, c. 10. de V. S. L. 78. ff. de Judic. atque ad hoc se quasi contractu obligavit ipsa susceptione officii. Unde in ferenda sententia, citra ullam acceptionem personarum, nulla passione iræ, amoris, amicitiae, nullisque muneribus moveri, aut flecti debet, ut contra jus pronunciet.

Hinc et sua sponte fluit, teneri judicem damnum injusta sententia a se datum resarcire parti læsæ; ac quidem ante sententiam superioris judicis, si sententia *formaliter injusta*, sive scienter ac dolo læsit, sicut quicumque alius damnificator injustus. Quod et probabilius dicendum, si *per imperitiam juris*, qua indignus est judicis munere, alteri damnum intulit; eo ipso enim, quod ob imperitiam sit eo munere indignus, tenetur in conscientia abstinere tali munere, vel compensare male judicando illatum damnum, sicut et passim de imperitis medicis ac similibus tradunt Theologi.

639. *Dico II.* Judex ex officio suo, saltem non supremus, regulariter tenetur pronunciare secundum leges publicas, statuta, ac consuetudines locorum: nec licitum est ei ferre sententiam pro suo arbitrio. C. 1. de Constit. Pr. Inst. h. t. Nov. 82. cap. 13.

Dictum 1°. Judex saltem non supremus; supremus enim in criminalibus potest ex dictis cap. præc. ex rationabili causa temperare rigorem legis; ac remittere decretas pœnas; modo id fiat citra præjudicium Reipublicæ, nec sit timenda major delinquendi licentia.

2°. *Regulariter*; nam aliquando spectanda est magis æquitas, quam rigor juris, id est, quam præcise cortex et littera legis, juxta L. 8. c. de Judic. ubi: *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ æquitatisque, quam stricti juris rationem.* Ac ratio est ex Doctore Angelico, quod justitia ita suum tribuat cuique, ut non distrahatur ab ullius personæ justiore petitione: hoc est, si concurrat cum lege justius, in ea specificè non expressum, potior illius, quod justius, habenda est ratio. Quod tamen præpostero sensu

accipi non debet; nec intelligi quævis cerebrina æquitas, quasi quævis ratio sufficiat ad recedendum a lege in casu, quem tamen ipsa lex exprimit, etsi lex dura videatur: sed si rigor juris ita sit expressus, ut nec in hypòthesi emergenti aliam menti legislatoris conformem interpretationem recipiat, standum est lege: sic L. 12. ff. qui, et a quib. man. hic proponitur casus: Domina commisit adulterium; et postea suis servis dedit libertatem; quaeritur, an libertas data valeat? ac dicit *cit. Lex*, quod libertas data debeat suspendi per 60. dies, non tantum servis illis, qui tempore commissi adulterii cum domina domi, sed et qui ruri erant; additurque ratio: *quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est.* Et vero potuit legislator habere causam, ita simile quid statuendi, quæ judicem lateat: sic in *cit. L. 12.* concurrat æquitas respectu boni publici, quod vult crimina non manere impunita; ergo ut servi torqueri possint in caput dominæ, ideo data ipsis libertas suspendi debet; quare etiam illi torqueri debent, qui erant ruri, cum et hi nosse potuerint aliunde mores mulieris, vel venisse in notitiã adulterii. Quare ne regula hæc: *Æquitas præferenda est rigori juris*, sit errandi occasio,

Observa: quod æquitas illa sit non aliud, quam benigna legis ad mentem legislatoris interpretatio; quæ mens haud dubie litteræ legis ac cortici prævalere debet, juxta L. non dubium. §. C. de Legibus, qua dicitur, illum peccare contra legem, qui neglecta mente sequitur verba legis. Unde omnis illa æquitas in sola mente legislatoris, a qua nunquam recedere licet inferiori judici, fundatur: ac proinde æquitatis officium in eo consistit, ut, quod e. g. generaliter, indistincte scriptum est, laxet, remittat, vel distinguat ad mentem legislatoris, prout causæ et circumstantiæ exigunt: sic tres tutelæ sufficiunt ad excusationem a quarta, §. 5. Inst. de excus. Tut. quod si quis tamen unicum, admodum diffusam, ac negotiosam habeat; recte facit judex, si etiam tunc unicum tutelam ad excusationem sufficere statuat; est enim ratio æquitatis aperta: cur enim tres excusant? nisi quod ob multiplices inde resultant occupationes eveniat quasi quædam inidoneitas bene administrandi quartam; si ergo idem una præstet difficilis, ac multum diffusa; conformiter plane menti legislatoris eum, qui talem tutelam gessit, a secunda judex absolvet.

640. *Dico III.* In causis civilibus tenetur judex pro illa parte ferre sententiam, cujus causa, discussis diligenter omnibus, ipsi videtur probabilior.

Constat ex prop. 2°. damnata ab INNOCENTIO XI. *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem.* Ac ratio est, quod judex constituatur a Republica, ut diligenter inquiret in veritatem, ac pronunciet juxta merita causæ; ergo pro illa pronunciare debet, quæ meritis prævalet; sed hæc est probabilior. Nec obstat, quod advocatus possit suscipere causam, etsi minus probabilem; tuendam in judicio; nam causa, quia est probabilis, habet saltem jus, ut sua momenta proponantur; ergo potest hæc, volente cliente, proponere advocatus. Deinde advocatus nihil definit; ergo nulli infert injuriam: at judex definit causam; ergo ille secundum probabiliorẽ pronunciare debet; ne alias lædat partem. Quod dictum de judice, idem dicendum de Principe, qui nequit suscipere bellum secun-

dum opinionem minus probabilem, quia suscipiendo bellum fungitur officio judicis.

Dictum : *in civilibus*; in criminalibus enim si reus habeat causam æque, vel etiam minus, vere tamen probabilem; magis favendum est huic, quam accusatori, *c. 11. de R. J. in 6. L. fin. C. de Probat.*

641. *Dico IV.* Si pro utraque parte stet æqualis probabilitas, potest quidem conari, ut æqua transactione lis dirimatur; nequit tamen uni, utut amico, adjudicare rem totam, sive tunc *non datur casus pro amico.*

Quia judex non est rei controversæ dominus, sed tenetur eam adjudicare illi, qui jure prævalet; ergo si, causa discussa, comperiat, neutri jus majus aut certius competere, sed esse utrimque æquale, non potest sine injusta personarum acceptione rem totam adjudicare uni, sed debet cuique tribuere jus suum; ac proinde vel conari, ut lis æqua transactione dirimatur; vel, si partes transigere nolint, rem inter easdem dividere, exemplo JUSTINIANI, §. *si servum 4. Inst. de vulg. substit.* rem in casu dubio inter partes dividendis.

Nec obstat, quod inter duos æque dignos beneficio detur optio collatori, ut conferre possit, cui velit; nam disparitas est, quod ante collationem neuter titulum, aut jus aliquod habeat, nequidem coloratum; ergo licitum est collatori conferre, cui velit; sed in nostro casu uterque æquale jus habet, quod alterutri facto judicis non potest auferri.

642. *Dico V.* Non licet judici acceptare *munera*, sive dona, etiam liberaliter et sponte oblata; et quidem peccat graviter, si in magna accipiat quantitatem. Deducitur ex *c. 11. de Rescr. in 6. c. 10. de vit. et honest. Cleri. L. 18. ff. de offic. Præs. L. 3. ff. de L. Jul. repetund. Auth. Novo Jure. C. de pœna Jud. præsertim Nov. 8. in fine*, ubi dicitur ad judices : *nihil penitus ab eis accipientes.*

Ratio autem prohibendi fuit periculum pervertendæ justitiæ, quod ordinarie subesse solet juxta Deut. 6. ubi *munera dicuntur excœcare intellectum.* Hinc etsi dentur sponte, ac judex apud se statuatur idcirco non recedere a justitiæ legibus, nec proinde contra jus naturale eo casu agat; peccat tamen contra jus positivum humanum, quod ex periculo universali acceptionem munerum prohibuit, ideoque obligat semper, etsi in casu particulari non esset periculum.

Hinc consequitur, multo minus posse judicem accipere *munera pro ferenda sententia*: nam 1^o. pro sententia *injusta* nullo modo potest, ut per se patet; sed nec 2^o. pro *justa*; hanc enim per se judex debet ex officio et justitia; ergo pro hac nihil potest recipere; imo hoc casu tenebitur restituere accepta ante superioris sententiam, *c. 15. Caus. 14. q. 5.* sicut tenetur restituere pretium acceptum ex venditione supra justum. Quod idem multo magis tenet, si offerens non det sponte; velut, si judex ideo protrahat litem, differat sententiam, ut pars litigans debeat advertere, opus esse muneribus, si velit habere sententiam, vel spem victoriæ; aut si usque adeo id insinuetur partibus: plana enim est ratio; quia in hoc casu offerenti defuit animus omnino liber a coactione donandi et transferendi dominium.

Dictum : *munera*; cum his enim non debent confundi *sportula*, quæ videlicet habent rationem stipendii, cum consensu ipsius Principis, ab eoque determinati ad sustentationem judicis, inque partem salarii; ideoque ab utraque parte exiguntur æqualiter sine pervertendæ justitiæ periculo. Excipit quoque PICHLER, aliique *xeniola*, sive munuscula in modica quantitate, consistentia in esculentis, poculentis, utpote quod hæc permittantur *L. 18. ff. de off. Præs. c. 11. §. insuper de Rescr. in 6.* quia, ut ait Glossa in *c. cit.* non est verosimile, propter munera tam tenuia movendum esse animum judicantis.

643. *Dico VI.* Non est licitum judici procedere ad sententiam condemnatoriam ex notitia injuste hausta; velut 1^o. per torturam injuste inflictam, ut ex defectu indiciorum sufficientium; vel 2^o. si notitia sit accepta per testes injuste interrogatos, etc. Nec 3^o. ex confessione dolose elicita; sive ficta promissione impunitatis, sive per quæstiones ita captiosas, quibus reus inducitur ad perplexitatem.

Conclusio est Theologorum ac Jurisconsultorum omnium, tam *quoad primum*, quam *secundum* membrum; estque ratio aperta: quia hæc notitia est contra jus; ergo æque parum ea uti potest, quam agere contra jus. *Quoad tertium* est quædam auctorum dissensio; sed est sententia communior, æquior, fundata in æquitate naturali, et *c. 7. de Renunt.* et passim tribunalium recepta praxi; ut saltem vi talis notitiæ non possit procedere ad pœnam ordinariam, etsi ad extraordinariam procedi posse, putet FARINAC. si reus sic elicita confessionem non revocet.

Quin generaliter semper in criminalibus sententiam reo favorabiliorem amplectendam esse, monent plerique. Quod non immerito applicaveris ad illam quæstionem: *An ex violenta præcise præsumptione, sive indicis gravissimis procedi possit a judice ad infligendam pœnam capitalem?* quæ Jurisconsultos admodum in contraria scindit. Affirmant *ABB. in c. 19. h. t. FARINAC. Præc. Crim. q. 86. MENOCH. Lib. 5. Præsumpt. LAYMANN. PICHLER, aliique multi.* Negant contra *MASC. de probat. Concl. 1221. ENGEL. hic num. 4. GOMEZ, MYNSING., FASCHIN., FELIN., TIRAQUELL., WAGNERECK, cæterique*, qui partim reum torqueri tantum posse volunt; partim solum ad extraordinariam pœnam procedi, suis etiam suffulti legibus. Unde fit, quod, etsi sententiæ affirmativæ plus faveret rigor juris, non tamen excedat probabilitatis limites, ac negativa sit saltem vere probabilis; igitur potius juxta sententiæ negativæ placita favendum reo. Et vero non una experientia constitit, quod indicia, quæ videbantur gravissima ac indubitata, postea, detecta rei veritate, fuerint nulla.

644. *Dico VII.* Demum judex in civilibus debet supplere, quæ *juris* sunt, et a partibus omissa, ut examinare, vel rejicere libellum actoris ineptum, deferre juramentum calumniæ, repellere testes, non legales, suggerere exceptionem præscriptionis et similia, *L. un. C. ut quæ desunt Advocatis. Glossa in Cap. 3. de Postulat. Prælat.* et Doctores communiter. Item non tantum potest, sed debet ex officio deferre juramentum *suppletorium* ad complendam probationem, quæ per unum testem evadit semiplena; modo deficiant aliæ probationes. Quod possit, nemo ambigit; quod *debeat*, est contra *DONELL.*

BERLICH. TREUTLER, communior reliquorum ferme omnium, ac teste VINNIO in *QQ. Jur. Lib. 1. cap. 44.* in plerisque recepta curiis; ac

Prob. hæc pars ex L. 3. C. de Reb. cred. ubi: per judicem jurejurando causa cognita, rem decidi oportet; verbo autem oportet necessitas imponitur judici. Accedit ratio manifesta; quia in re dubia, qualis efficitur, si unus testis, vel alia semiplena probatio fuerit allata a parte, aliter causam decidere judex non potest; ideo namque L. 1. ff. de Jurejur. jusjurandum dicitur remedium maximum expediendarum litium: sed judex, si de re cognoscere cœperit, de eadem quoque pronunciare jubetur, finireque litem; ergo, cum hoc sine delatione juramenti suppletorii non possit in casu, illud deferre debet, sicque curare, ut probatio fiat plena.

Dictum 1^o. modo deficiant probationes aliæ; secus enim deferretur juramentum sine sufficienti causa, et proinde temere; quod non licet. 2^o. In civilibus; nam in criminalibus saltem reo, qui talis semiplene probatus, deferri non debet; certe non expedit ob perjurii periculum.

643. *Obj. I. L. admonendi. 31. ff. de Jurejur. adhibet verbum solent, nimirum: solent sæpe judices, etc. sed ea vox non necessitatem indicat, sed liberum usum; ergo.*

II. Actore non probante reus est absolvendus, *L. 4. C. de Edendo. L. 9. C. de Testib. vel saltem ipsi reo judex deferre juramentum potest, L. 3. C. de reb. cred.*

III. Paria sunt, non probare, et non probare perfecte, *L. 6. ff. qui satisd. cog. Quando enim lex probationem exigit, legitimam ac plenam exigit, L. ult. C. de Prob. Ergo si actor non plene probet, non tenebitur judex ei deferre juramentum, ut suppleatur probatio.*

Ad 1^{um}. *R. N. min.* Verbum solent necessitatem importat, ut cum verbo oportet in *cit. L. 3.* concordet; sed et ex ipsa *L. admonendi*, colligitur, dum additur: *secundum eum, qui juraverit.* Demum et alibi in jure verbum solet pro debet ponitur, *L. 86. 94. ff. de R. J.*

Ad 2^{um}. *R. D.* Si plane nihil probet *C.* si probet semiplene *N.* Sed tunc expediendæ litis remedium est juramentum, et fieri debet probatio plena. Dein falsum est, quod præcise reo deferendum sit juramentum in causa dubia; sed, pensatis circumstantiis, relinquitur judici, deferre juramentum vel suppletorium actori, vel purgatorium reo, *L. 3. cit. et c. ult. de Jurejur. ubi: præsumptione vero faciente pro illo (scilicet actore) reo deferri potest juramentum, nisi judex, inspectis personarum et causæ circumstantiis, illud actori videat deferendum.*

Ad 3^{um}. *D.* Paria sunt, si nec verisimiliter, aut semiplene intentionem suam, vel exceptionem probet pars *C.* si saltem ita probet *N.* Qui semiplene probat, non agit nihil; et quamvis non fecerit plenam judici fidem, fecit tamen opinionem; et quia *L. ult. C. de Prob.* requiritur probatio plena ex dictis, hæc vero sine juramento suppletorio haberi non potest; consequenter judicem obligat, ut deferat juramentum.

ARTICULUS II.

DE OFFICIO ET OBLIGATIONE REI.

646. *Dico I.* Reus legitime, et servato juris ordine interrogatus tenetur fateri veritatem, nimirum debitum; vel etiam delictum, saltem non capitale, dum periculum amittendæ vitæ non incurrit; vel rem quamcumque aliam.

Prob. Quilibet jure divino et naturali tenetur obedire superiori legitimo et juste præcipienti: sed judex legitime interrogans est legitime præcipientis, extra causam saltem criminis capitalis; intendit enim obligare interrogatum, ut fateatur, quod res est: ergo etiam fateri tenetur; cum secus, si non daretur in reo obligatio fatendi veritatem, frustraneum in judice sit jus interrogandi.

647. *Dico II.* Non tenetur reus fateri delictum, si non legitime interrogetur a judice. Est communis DD. cum *D. THOMA q. 69. a. 2.* Ac colligitur ex *c. 17. 19. 21. de Accusat.* ubi prohibetur judex interrogare de occultis, sicque obligare interrogatum ad veritatis confessionem. Et vero judex non legitime interrogans se habet instar privati, cui fateri nemo delictum tenetur, aut jurare; sed interrogans potest eludi arte, vel amphibologia.

Dixi 1^o. *delictum:* in civilibus enim, si reus sciat, debitum suum nondum esse expunctum, tenetur aliunde, etiam non interrogatus satisfacere creditori.

2^o. *Si non legitime interrogetur:* h. e. si judex non servet juris ordinem. Ut vero judex interroget legitime, requiritur, ut præcesserit aliqua diffamatio ob crimen aliquod, *c. 17. et 24. de Accus.* vel clara indicia, vel accusatio, aut denunciatio criminis cum semiplena probatione. Unde nec de occultis, nec de criminibus aliis non connexis cum eo, cujus jam est reus convictus, si sufficientia horum desint indicia, interrogare potest. Sic convictus de furto, nequit interrogari de homicidio, cujus adhuc desunt sufficientia indicia.

Quin non pauci Doctores, cum LESSIO, LAYM. contra alios, deobligant reum a fatenda determinate veritate delicti, si reo sit dubium, an legitime judex interroget? ex eo maxime fundamento: quod in dubio melior sit conditio possidentis, adeoque obligari non possit, qui in bonæ famæ possessione est, fateri contra se ipsum cum gravissimo suo incommodo, ac periculo vitæ, vel membrorum. Nec obstat, quod alias in dubio præsumatur præceptum superioris esse justum; hoc enim non tenet in casu, qualis est præsens, in quo ipsa præcipienti potestas est dubia; nec quando præceptum est conjunctum cum damno obedientis irreparabili.

648. At major hic exurgit controversia: teneaturne reus, licet interrogatus legitime, fateri delictum, ob cujus confessionem puniendus esset pœna capitali, sive privandus vita; aut afficiendus æquivalenti? Negat cum Doctore Angelico 2. 2. q. 69. a. 1. ejusdem Scholæ passim, cui et accedunt LAYM. SANCH. BÉCAN. et alii. Affirmant contra alii